

TITULUS XVII.

DE RAPTORIBUS, INCENDIARIIS ET VIOLATORIBUS ECCLESIA-
RUM. ^a

106. In hoc titulo examinantur crimina: raptus personarum, rapina rerum, crimen incendii, et violatio seu effractio, et spoliatio Ecclesiarum et locorum religiosorum. De raptu, prout est impedimentum dirimens matrimonii, egi *lib. 4. tit. 1.* Hic raptus personarum est, violenta abductio personæ honestæ, fæminæ vel maris, de loco ad alium locum moraliter diversum, libidinis exercendæ causa. Per has ultimas differt raptus iste à raptu dirimente matrimonium, qui fit matrimonii contrahendi causa; et à plagio, quod fit ex alia causa v. g. ut homo liber furto sublatus redigatur in servitutem etc.: à rapina rerum, quæ est violenta ablatio rei mobilis alienæ, non verò personæ.

107. Q. I. *An raptus contineat speciem injustitiæ præter speciem luxuriae, et quibus pœnis puniatur?*

R. 1.º Si fæmina sui juris non consentiat in sui abductionem, sed invita per vim abducatur libidinis exercendæ causa, est propriè raptus continens etiam peccatum injustitiæ; nam tali fæminæ gravissima injuria inferitur, jusque ejus læditur, quod habet, ne ab alio per violentiam molestetur. Item, si fæmina sit sub potestate patria vel tutoria, etiamsi consentiat in sui abductionem; nihilominus raptus iste committitur ob injuriam illatam patri et tutoribus, licet raptor mitiori pœna puniatur arbitrio judicis. At si fæmina sui juris volens et consentiens abducatur, non est raptus, cum nullius jus violetur, etsi deinde invita carnaliter per vim cognoscatur, nam in maleficiis voluntas et initium spectatur, non exitus (*l. 14. ff. ad L. Corn. de Sicar.*): eo tamen in casu stuprum committitur ob violentam copulam. Sic econtrà, si puella vi abducta, deinde spontè consentiat in copulam, raptus est, non stuprum.

2.º De jure civili raptor fæminæ, presertim conjugatæ, punitur pœna mortis remota appellatione, ejus bona applicantur raptæ ingenuæ, non tamen ancillæ vel libertinæ; *l. un. C. de rap. Virg. Const. Car. V. art. 118*, ubi pœna mortis confirmatur. Circa remissionem ad

^a—Agitur de hac materia in Decreto *14. qu. 5. 6. et 16. q. 1. et 36. q. 1.*—In Trid. *sess. 22. c. 11. de ref. et sess. 24. c. 6. de ref. matr.*—In Inst. *lib. 4. tit. 2.*—In Pandectis *lib. 47. tit. 8. 9. 12. 18. et lib. 48. tit. 15.*—In Codice *lib. 9. tit. 43. 49. 20. et 33.*

locum delicti, variant DD.; hodie rarus usus est remissionum, et ibi puniuntur eriminosi, ubi in crimine reperiuntur.

3.º De jure Can. raptus contrahendi matrimonii causa commissus, varias habet pœnas in *caus. 33. q. 1. et 2. c. 6. et fin. h. t.*: hodie verò servandæ sunt pœnæ Trid. *sess. 24. c. 6. de refor. matr.*, de quibus egi *lib. 4. tit. 1.* Sed quas pœnas habeat raptus exercendæ libidinis causa commissus, nihil certè colligo ex canonibus; ac proinde attendenda est consuetudo optima jurium dubiorum interpret. —Nec me convincit sententia Bonacinæ, Azor, et aliorum dicentium, pœnas à cit. Trid. proditas habere locum etiam raptu libidinis causa facto; nam contrarium apparet tum ex tenore Tridentini loquentis de raptu contrahendi matrimonii causa facto: tum etiam ex mente ejusdem Concilii unice volentis consulere libertati matrimoniorum: tum quia ita declarasse fertur S. Congregat. Concilii 1586, 23 Januar., quòd scilicet, sub hoc Decreto non contineatur raptus, nisi sit ob matrimouium ineundum factus.

Dices: Trid. loc. cit. statuit pœnas in clericos raptos, qui matrimonii causa rapere nequent.

R. Sufficere, quòd clerici rapiant ob matrimonium de facto ineundum, sicut, v. g. consanguinei vel conjugati, et consequenter in eis locum habent pœnæ Tridentini.

108. Q. II. *Quando censeatur rapina rerum committi, et quæ pœna hujus delicti?*

R. 1.º Rapina tunc committitur, dum quis rem alienam mobilem injustè accipit per vim, sive actu illatam, sive inferendam, si præsens dominus rei raptori resisteret. Si metu res extorqueatur, non est raptus, sed *concussionis* species: si immobilia invaduntur, pariter non est rapina, quia immobilia rapi non possunt, benè verò injustè invadi: si præter vim addatur occisio, vel aggressio ex insidiis, erit latrocinium aut depredatio in viis et stratis publicis —II. Vis alia est *publica*, quæ regulariter fit cum armis seu instrumentis, quibus noceri potest: alia *privata*, quæ fit sine armis (§. 8. *Inst. de publ. jud.*) Vide *tit. ff. et C. ad L. Juliam de vi publica et privata*, ubi varia exempla hujus delicti enumerantur. Et quidem, *de vi publica*: arma domi habere præter usum venationis et itineris, consilia inire seditionis causa, villas expugnare, cum telis et armis bona rapere, ex incendio aliquid rapere, fæminam vel puerum per vim stuprare, hominibus armatis possessorem dejicere è domo vel agro suo etc. Exempla *de vi privata*: convocare homines ad aliquem verberandum, per injuriam alienum auferre, hominibus non armatis possessorem à suo fundo dejicere, res debitoris sine auctoritate judicis occupare etc.

2.º Pœna civilis rapinæ est triplum pœnæ, et simplum rei, licet minima res sit rapta; et hoc intra annum utilem; post hunc actio *vi bonorum raptorum* est tantum in simplum rei aut æstimationis (*pr. Inst. de vi bonor. raptor. l. 2. §. 13. et l. 4. pr. ff. de vi bonor. raptor.*), sive raptor sit manifestus seu deprehensus in rapina, sive nec manifestus.

Quare autem in furto manifesto sit poena quadrupli, et in rapina tripli, ratio congrua est; quia furta sunt frequentiora, et ideo saltem pro furibus manifestis major poena imponi debuit: et aliunde raptor conveniri etiam potest iudicio publico ex L. Julia de vi publica aut privata: fur autem olim conveniebatur iudicio tantum privato ad poenam civilem.

3.º Poena criminalis rapinae sine armis patratae, est amissio tertiae partis bonorum, privatio dignitatis et honoris cum infamia (§. 8. *Inst. de publ. iud. l. 1. pr. ff. ad L. Jul. de vi priv. l. 2. C. ad L. Jul. de vi publ. et priv.*) Si rapina armata vi patrata sit, ex L. Julia de vi publica, erat deportatio (*l. 10. ff. ad L. Jul. de vi publ.*), cui successit bannum imperiale: imò poena capitis ex Const. Car. ar. 126.; et si caedes conjuncta sit, raptor supplicio rotæ condemnatur. Eandem poenam sustinent complices delicti, sicut in furto, imò, ut ait Carp., qui metu incusso viatori sua bona eripuit, eadem poena plectendus est, tanquam perturbator pacis et securitatis publicae. In certis tamen casibus mitigatur poena rapinae, ut si hæc tantum attentata fuit, vel si a domino ante spoliatio prædoliatus est, vel si rapina facta est ex dira necessitate famis etc., vel si servus jussu domini rapinam fecit: quo casu dominus ordinaria, servus extraordinaria poena plectendus est (*l. 8. C. ad L. Jul. de vi publ.*)

4.º De jure Can. raptor excommunicari debet (*c. 1. h. t.*), et si ante mortem noluerit satisfacere, vel si in ipsa rapina occisus sit, privatur sepultura sacra tanquam notorius peccator; *c. 3. h. t. et c. 2. de furt.*, ubi etiam clerici interessentes tali sepulturae jubentur deponi ab officio et beneficio.—II. Qui ex rebus christianorum naufragantium aliquid surripiunt, incurrunt excommunicationem ipso jure (*c. 3. h. t.*) reservatam Papæ in casu IV Bullæ Cœnæ: quæ tamen poena non debet extendi ad causas morales, ut ad consulentes, fautores, receptores etc., cum hi non exprimantur. Ceterum principes vel domini territoriales, si viator in via regia spoliatus est, non tenentur his poenis Canonice aut civilibus; si tamen alicui salvum conductum dederunt, damna ei illata resarcire debent ex Reces. Imp. in Com. Aug. 1559.

109. Q. III. Quando committatur crimen incendii, et quæ poena illius?

R. 1.º Crimen incendii tunc committitur, dum quis dolo malo, seu malitiosè opida, villas, segetes, acervos fructuum et similia bona per se vel per alios appposito igne succendit, sive id faciat ex odio aut vindicta, sive commodi capiendi causa. Sub hoc crimine non continetur incendium *fortuitum* seu casu factum; quia culpa et poena caret (*l. 11. ff. de incend.*), neque incendium *culposum*, etiamsi culpa lata causatum fuerit, quia in criminalibus culpa lata non æquiparatur dolo (*arg. l. 7. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*)

2.º De jure civili poena incendii *dolosi*, pro qualitate delicti, erat exilium, vel deportatio, vel poena capitis aut ignis (*l. 9. et l. fin. §. ult. ff. de incend. l. 10. ff. ad L. Cor. de Sicar. l. 28. §. 12. ff. de pæn.*) Ex Const. Carol. art. 125. incendiarii dolosi jubentur vivi comburi, licet

ad evitandam desperationem spiritus eis soleat intercludi. Incendii verò *culposi* poena est arbitraria, v. g. pecuniaria, incarceration, relegatio, fustigatio; attamen citra mortem et mutilationem; Carpz.—De jure Can. laici dolosè incendentes Ecclesias et alia loca sacra, et his contigua ad 30 passus, ipso facto excommunicantur (*Can. 107. Can. 11. q. 3. et Can. 5. omnes 17. q. 8.*): loca verò profana incendentes excommunicari debent (*Can. 31. et seq. 32. q. 8.*), neque incendiarii absolvendi, aut sepultura sacra donandi sunt, donec satisfaciant, vel ante mortem cautionem præstent de satisfaciendo (*ibid. et c. 5. h. t.*) Contra clericos nulla poena prodita est; quia non videbatur tantum crimen cadere in clericos: erit proinde poena arbitraria. Mitigatur poena, si incendium sit tantum attentatum, vel ex simplicitate potius, quam dolo causatum, modò adsint indicia simplicitatis, etsi reus sit minorenis 16 vel 17 annorum, cui communiter poena gladii decernitur, nisi malitia superaret ætatem. Econtra ob repetitum incendium poena non exasperatur, quia id non exprimitur in jure, sicut exprimitur de repetito veneficio et latrocinio (*Const. Car. art. 130.*), neque repetitio delicti in capitalibus majorem arguit poenam, nisi lex statuatur vel consuetudo, vel admisceatur aliud delictum, ut latrocinium: quo sensu procedit *l. 3. C. ex quib. caus. infam. irrog.*

3.º Incendiarius *culposus*, si culpa theologica causam dedit incendio, damna inde secuta tenetur reparare in conscientia ante ullam sententiam; quia voluntariè læsit jus alienum. Si verò culpa fuit solum civilis seu juridica, non obligatur, nisi post sententiam iudicis, sicut communior sententia tenet de obligatione ex L. Aquilia.—II. Si culpa fuit patrisfamilias vel servi aut famuli in suo officio negligentis et delinquentis, damnum reparat paterfamilias, cujus est habere famulos peritos et diligentes in suo officio: secùs is damnum reparat, qui culpa sua causam dedit incendio.—III. In dubio incendium præsumitur fortuitum, non verò dolosum aut culposum (*l. 18. pr. ff. commodati, l. 1. §. 4. ff. de O. et A. l. 23. in fin. ff. de R. J.*), quia dolus et culpa, cum sit facti, probari debet ab asserente. Et quamvis incendium dicatur culpa inhabitantium factum (*l. 3. §. 1. ff. de off. præf. vigil.*), id tamen non sufficit ad omnes condemnandos, sed culpa unius certæ personæ probari debet. Neque sufficit ad patremfamilias condemnandum: quia iste sine culpa esse potest in se et in electione suorum famulorum, si isti in officio suo non deliquerunt: fieri enim potest, ut stabularios aliquid coquat in culina, ad quod conductus non est, et per incuriam suam incendat domum, quæ incuria patrisfamilias non imputatur (*l. 11. ff. de peric. et commod.*)

110. Q. IV. Quomodo contingat violatio Ecclesiarum et aliorum locorum sacrorum, et quæ poena hujus delicti?

R. 1.º Loca sacra violantur effractione et spoliatione, vel sacrilega ablatione rerum sacrarum. De alio genere violationis hic non agitur.

2.º Violatores Ecclesiarum jure Romano pro qualitate delicti puniebantur exilio, deportatione, gladio, suspendio, condemnatione ad

bestias (*l. 9. 10. ff. ad L. Jul. peculat. l. 10. cum seq. auth. C. de Episc. et cler.*) Ex Const. Carol. art. 172. hierothecam cum sacra hostia aufrens jubetur comburi vivus: calicem, patenam vel aliud vas sacrum surripiens, præsertim cum effractione, supplicio capitis: alias res sacras, ut candelabra, mappas, aut similia interdù et sine fractione tollens, pœna furti profani coercetur; Reiff.—De jure Can. incendiarii et violatores Ecclesiarum ipso facto excommunicantur, dummodò copulative adsit effractio et spoliatio (*Can. 107. Canonica 11. q. 3. et Can. 5. 21. §. siquis 17. q. 3. et c. 19. et 22. de sent. excom.*), quæ excommunicatio post denunciationem est reservata Papæ.

* Ex Const. Benedicti XIV. *Ab augustissimo*, 5. Martii 1744. surripientes, asportantes aut apud se retinentes hostias vel particulas consecratas, seculari Curia tradendi sunt, prævia degradatione, si sint ecclesiastici; etiamsi juxta Constit. Innoc. XI. quarto idus Martii 1676, hoc scelus pro prima vice perpetraverint, et minores sint annis 25, dummodò vigesimum attigerint, rejectis exceptionibus à reis dari solitis, vel quòd non satis constet de earumdem particularum consecratione, vel quòd non fuerint subreptæ, asportatæ vel respectivè retentæ ad malum finem: quarum exceptionum claram et concludentem probationem ad eosdem reos et non ad fiscum spectare decernitur.

Alii fures, qui citra effractionem furantur, v. g. calicem ex Ecclesia, excommunicari debent (*cap. fin. de furt. c. 16. de for. comp.*). Si satisfacere nolint, non sunt absolvendi, nec in loco sacro sepeliendi: si verò ante mortem velint, sed non possint satisfacere, contritis Viaticum datur, sed eorum sepulturæ clerici interesse prohibentur sub amissione beneficii (*c. 2. h. t.*)

3.^o Violatores sepulchri civiliter conveniuntur ad interesse: et si dominus sepulchri agere nolit, quilibet alius admittitur ad pœnam 100 aureorum (*l. 3. §. 8. ff. de sepulchro violat.*) Est ergò actio ista popularis, et ex dolo famosa (*cit. l. 3. pr.*)—II. Armata manu cadavera spoliantes, vel ipsa corpora aut ossa temerè extrahentes, pœna capitis plectuntur (*l. 3. §. 7. et l. fin. eod.*): habitantes verò in sepulchris actione 200 aureorum, et in civitate sepulchrum facientes pœna 40 aur. ex edicto Adriani puniuntur (*l. 3. pr. et §. 5. eod.*), quæ jura hodie vix sunt in usu.—III. Creditores, qui cadaver defuncti sepulturæ tradi prohibent, æquiparantur violatoribus sepulchrorum, et 50 libris auri mulctantur (*l. fin. C. de sepulchr. viol.*): imò tenentur lege julia de vi publica (*l. 8. ff. eod.*) Jure novo creditores isti debitum amittunt, alterum tantum hæredibus defuncti præstant, et tertia pars bonorum illorum publicatur: qua pœna tenentur et illi creditores, qui moribundi ædes ingressi, omnia sigillant. *Auth. item, Auth. sed neque, C. de sepulchro violat.*, ubi cetera legere poteris.

TITULUS XVIII.

DE FURTIS. ^a

111. *Nota I.* Furtum dici à *ferendo*, vel à *furro* seu nigro; quia plerùmque patrat in obscuro. *Furtum* propriè quoad rem est: contractatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve (§. 1. *Inst. de oblig. ex delict. l. 1. in fin. ff. h. t.*): seu, ut definiunt TT. cum S.D. 2. 2. q. 66. ar. 3. est: occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito.

Nota II. Furtum variè dividi:—1.^o In *simplex*, cui non admisceatur aliqua qualitas notabiliter aggravans vel mutans speciem: et *qualificatum*, cui similis qualitas admisceatur, ut vis, effractio violenta, tela, arma etc.—2.^o In *parvum*, quod est infra 5 solidos: et *magnum*, quod adæquat vel excedit 5 solidos seu aureos hungaricos, ut communis interpretatur.—Utrumque hoc potest esse vel *primum* vel *iteratum*, *diurnum* vel *nocturnum*: *domesticum*, quod fit ab uxore, liberis et familia: vel *extraneum*, quod fit à peregrinis seu ab aliis extra familiam.—3.^o Ex parte materiæ in *furtum rei*, dum ipsa res mobilis aufertur: *furtum usus*, dum quis contra voluntatem domini re utitur, vel aliter quam ut deberet: ut si depositarius vel creditor utatur re deposita vel pignorata; vel commodatarius, cui usus equi concessus est ad unum milliare, illo utatur ad duo vel plura milliaria contra voluntatem domini: et *furtum possessionis*, dum quis possessionem solam, alteri competentem eo invito aufert: ut si debitor rem pignoratam auferat occultè à creditore: quo casu privat illum possessione talis rei. Divisio ista traditur in jure in definitione suprà allata.—4.^o In *manifestum*, dum fur deprehenditur in ipso crimine, antequam perveniat ad locum, ubi rem furtivam deponere intendit; sive deinde deprehendatur à domino, sive ab alio, sive in actu flagranti, sive in itinere, sive in loco publico, sive privato, sive attineatur, sive tantum videatur et inclametur: et *nec manifestum*, dum fur ita non deprehenditur, nisi postquam rem deposuit in loco destinato. Hodie divisio ista parum attenditur, cum plerùmque ex furto agatur criminaliter; Manz. 5.—Olim furtum erat quadruplex: *conceptum* seu simul captum, dum apud aliquem res furtiva reperta fuit, et contra hunc dabatur *actio furti concepti*; quia particeps fuit furti: sicut hodie adhuc puniuntur recepta-

^a—Agitur de hac materia in Institut. lib. 4. tit. 1.—In Pandectis lib. 47. tit. 2. et seqq.—In Codice lib. 9. tit. 27. et seqq., et lib. 6. tit. 2.